

At 1/2 25
6

DE
I V R E C I V I L I
A
M. TVLLIO CICERONE
IN ARTEM REDACTO

EXERCITATIO
SCRIPSIT

ILLVSTRIS IVRIS CVLTORVM ORDINIS
AVCTORITATE

P R A E S I D E
D. CHRIST. GOTTL. HAYBOLDO

SVPREMAE CVRIAE PROVINCIALIS ADSESSORE, IVRIS SAXONICI
PROFESSORE PVBL. ORDIN. ACAD. ELECT. MOGVNT. SCIENTIAR
VTILIVM SODALI

A. D. VI. M. OCT. A. C. ~~MDCCCLXXXVII~~

AD DISPVTANDVM PROPOSVIT

IOANNES GOTTHELF HORNEMANNVS

LVBENA-LVBATVS

801

L I P S I A E
EX OFFICINA SAALBACHIA

[Handwritten signature]

DE
I V R E C I V I L I
A
M. TVLLIO CICERONE
IN ARTEM REDACTO

EXERCITATIO

SCRIPSIT

ILLVSTRIS IVRIS VLTORVM ORDINIS
AUCTORITATE

P R A E S I D E

D. CHRIST. GOTTL. HAVBOLDO

SVPREMAE CVRIAE PROVINCIALIS ADSESSORE, IVRIS SAXONICI
PROFESSORE PVBL. ORDIN. ACAD. ELECT. MOGVNT. SCIENTIAR
VTILIVM SODALI

A. D. VI. M. OCT. A. C. MDCCCLXXXVII

AD DISPVTANDVM PROPOSVIT

IOANNES GOTTHELF HORNEMANNVS

LVBENA-LVSATVS

L I P S I A E
EX OFFICINA SAALBACHIA



V I R O

AMPLISSIMO ATQVE CONSULTISSIMO

IOANNI CHRISTOPHORO
HORNEMANNO

P A R E N T I O P T I M O

NEC NON

VIRO ILLVSTRI ET AMPLISSIMO

C A R O L O A V G V S T O
B O E T T I G E R O

SERENISSIMO DVCI SAXO - VINARIENSI IN SVPREMO SENATV
ECCLESIASTICO A CONSILII ET ILLVSTRIS QVOD VINARIAE
FLORET GYMNASII DIRECTORI

PRAECEPTORI OMNI PIETATIS CVLTV
PROSEQVENDO

HOCCE

QVIDQVID EST LITTERARII MVNERIS

CV

O B S E Q V I I E T O B S E R V A N T I A E
M O N I M E N T V M

D. D. D

A V C T O R



DE
I V R E C I V I L I
M. TVLLIO CICERONE
IN ARTEM REDACTO

I.

Obtinuit haec semper inter doctos homines constans opinio, atque etiam nunc in omnium, qui de his rebus optime existimare possunt, penitus inhaeret animis, quidquid usquam sit politiorum disciplinarum, nullis aliis, quam Graecorum Romanorumque libris ac litteris contineri, nec ullam omnino esse artem atque scientiam, cui non insignis lux ex veterum scriptis adfundatur. Ego quidem, quo saepius lego praestantissimos veterum libros, eo magis, quam iam dudum persuasam mihi habui, sententiam confirmatam video, nullam reperiri disciplinam, cui maiora subsidia suppeditet veterum scriptorum lectio, quam iuris civilis scientiam ¹⁾, quae tota fere ab antiquitatis Romanae cognitione proficiscitur, nec ullum umquam inter omnes, quos tulit Latium, excellentium ingenio.

a) De commodis, quae ex assidua auctorum classicorum lectione in studium iuris civilis redundant, generatim dixerunt Frid. Platnerus in Praef. *super utilitate lectionis auctorum classicorum in iure civili*, I. Fr. Gronovii *Observat.* Lips. 1755. edit. praemissa, et Ge. Frid. Krausius in *Diss. de praesidiis auctorum veterum in explicando iure praesertim Romano*. Viteb. 1779.



geniorum scriptores M. T. Cicerone exstitisse vberiore, in quo tot tamque praeclara de iure litteris consignata reperiantur. Euoluas enim, quaeso, diuini illius auctoris scripta, non orationes solum, sed illa etiam, quibus artem dicendi tradit vel philosophica tractat, et reperies in singulis ipsius libris, ne dicam in singulis fere capitibus, innumera iuris scientiae vestigia, non leuiter illa adumbrata, sed manifesta ac penitus expressa ²⁾). Iustae mehercule molis volumen conscribendum esset, si quis omnia, quae ad iurisprudentiam spectant, ex Cicerone colligere vellet atque illustrare ³⁾). Quae quum ita sint, haud scio, an operae pretium facturi simus, si, quam commode nobis obtulit et de litterulis nostris quaedam, qualiacumque sint, differendi studiorum nostrorum ratio, occasione ita vtamur, vt Ciceronis iurisprudentiam paullo copiosius explanemus, et, quot quantaque ad ius ciuile in artem redigendum ipse studia contulerit, quantum in nobis situm est, pertractemus. Sed valde pertimesco, ne quis hisce conspectis alto supercilio ac vultu magna minanti mihi

con-

2) Si quis sit, cui non satis ponderis habere videatur haec mea oratio, age Io. Aug. Bachium, cuius merita de historia iuris Romani atque elegantiori iurisprudentia nulla vmquam desebit dies, eum igitur excitemus, vt, quae modo diximus, his auctoritatem tribuat. Nam in *Hist. iurispr. Rom.* II, 2, 4, 43. p. 246. edit. III. Stockmanni omnibus ius Romanum cum laude percepturis assiduam librorum Tullianorum lectionem vel ideo commendauit, quod in aliis veteribus auctoribus tot tantaeque veteris iuris reliquiae, vel potius copiae, quantae in hoc vno, haud reperiantur.

3) Iam olim Franc. Balduinus (in *Epist. de opr. iur. doc. et disc. rat. ad studiosam iuuentutem conscripta* et praemissa *Eius Catechesi iuris* p. m. 46.) tantum otii sibi optauit, vt iurisprudentiam Ciceronianam colligere, et eam, vti instituerat, in locos communes digerere posset; nihil enim dignius Romano iure, nihil ea adcessionem gratius esse posse.

confestim occinat: cui non dictus Hylas? Me quidem non fugit iam a magnis viris summa cum laude huic argumento nauatam esse operam 4), consilio tamen multum haud dubie diuerso ab eo, quod nobis propositum est, ita, vt negotium nostrum paucis certe et fere obiter antehac tentatum esse, absque adrogantia adfirmemus. Omnes enim, quoscumque inspiciendi perlustrandique copia nobis facta erat, in eo maxime elaborarunt, vt ostenderent, Ci-

A 3

cero-

4) Vid. Ant. Schultingii *Or. de iurisprudentia Ciceronis*, calci subiecta *Dissertt. Franegu. 1708. 4.* iunctim editarum, et recusa in *Opusculis ad historiam iuris pertinentibus*, a Io. Lud. Vhlio collectis (Halaë 1735.) p. 309. sqq. Henr. Ern. Kestneri *Diss. Cicero Iureconsultus in Tr. de Officiis*. Rintelii 1719. 4. Henrici Brokes *Diss. de Cicerone iuris ciuilibus teste ac interprete, speciatim de Cicerone ICto*. Vitemb. 1738. 4. Eiusd. *Diss. de Cicerone iuris ciu. teste ac interprete, speciatim in suis de Inuentione libris*. ibid. 1739. 4. Eiusd. *Diss. de Cicerone iuris ciu. teste ac interprete, speciatim in primo de oratore libro a cap. 1 — 38*. ibid. 1741. 4. Henrici Constantini *Cras Specimen iurisprudentiae Ciceronianae s. Ciceronem iustam pro A. Caecina causam dixisse*. L. B. 1769. Io. Olivier *Diatr. de iurisprudentia Ciceronis*; in *Ei. Ciuilibus doctrinae analysi philosophica* (Rom. 1777. 4.) p. 97 — 126. Ios. Lud. Ern. Püttmanni *Obf. de utilitate e lectione scriptorum M. Tullii Ciceronis praecipueque orationum Tullianarum in disciplina iuris criminalis capienda*; in *Ei. Miscellan.* c. 19. Quibus addendi sunt, quos Ciceronianae eruditionis praecones magno numero recenset largissimus eiusmodi scriptorum promus condus Io. Ge. Meuselius *Vir Ill.*, in *Biblioth. Hist.* Vol. III. P. 1. p. 277. sqq. Multa quoque et praeclara diuersis in locis de Tulliana iuris scientia protulit Conyers Middleton in praeclaro opere, cui titulus est: *History of the Life of M. T. Cicero*. London 1741. 4. quodque in vernaculam linguam transtulit Seidelius. (Gedani 1791. III. Vol.) At illud miratus sum, qui factum sit, quod in eo capite, quo de Ciceronis doctrina et eruditione (Vol. III. p. 313. sq. vers. Seidel.) obseruauit plurima lectu dignissima auctor elegantissimus, ne verbulum quidem dixerit de eius iuris scientia.

ceronem in iure non fuisse hospitem, vel plura ac praeclara in eo reperiri, quae ad ius Romanum explicandum in primis faciunt; illam vero quaestionem, quot quantaque de iure civili ad disciplinae dignitatem euehendo eius merita exstant, vel sicco pede transilierunt, vel leui tantum bracchio pertractarunt. Quae quum ita sint, nullus profecto dubito, quin nos non prorsus inanem in hac quaestione pertractanda operam infumturi simus. Quod quidem si cognouerimus, fieri forsitan potest, vt, quae pingui, quod aiunt, Minerua adumbrauimus, lineamenta latius aliquando designemus, et quantum ad vniuersam iurisprudentiam augendam et in altius promovendam contulerit Cicero, copiosius exponamus. Quod vero ad hasce studiorum meorum primitias adtinet, eas omnium, qui litteris fauent, quibusue et leuia aut tenuia haud displicent, oculis lubenter submitto ac spe[m] foueo certissimam, fore, vt aequi existimatores et erga iuuenis modestam imbecillitatem indulgentes scriptiunculae consilium sint respecturi.

II.

Adgredienti autem mihi hunc locum animus non est actum agere, et putida diligentia Arpinatis vitam conscribere; quod prorsus est ab instituto meo alienum. Id tantum adsequi volo, quod semper mihi in summos homines ac summis ingeniis praeditos intuenti considerandum esse visum est, ut ex quibusdam quasi delineamentis, quo fuerit ille a natura factus ingenio, ostendam, et, quod possim, inuestigem, quibus initiis ac fundamentis haec tanta iurisprudentiae facultas excitata sit, quibus praesidiis adiutus, qua via ac ratione inductus ad id legitimae scientiae fastigium penetrauerit. Ita enim fiet, ut, quo diligentius haec consideremus ac perpendamus singula, eo dilucidius adpareat, quantum ad artem nostram augendam et amplificandam contulerit atque adeo conferre potuerit.

Inter omnes fere populos maximam curam constat educandis liberis adhibuisse Romanos 5). Probe enim gnari, quantum interfit, quantumque momenti habeat tenellos adhuc animos veluti cereos fingere et ad bona omnia conformare, puerilem praecipue aetatem cura sua amplexi sunt, et id in primis spectarunt, ut sincera atque integra vniuscuiusque natura toto statim pectore adriperet artes honestas, et, ad quod maiora haberet adiumenta, in eo vnice elaboraret. Eodem modo Tullium nostrum institutum fuisse, vel ex eo iam colligi potest, quod eius pater, qui, quum esset infirma valetudine, in Arpinati villa remotus a procellis reipublicae aetatem

5) Cf. Taciti *Dial. de orat.*, 28.

tem agebat in litteris, quidquid dabatur otii, id fore in hoc omne consumserit 6). Iam a primis, vt Graeci dicunt, vnguiculis, iis, quae L. Craſſo placebant, artibus et ab iis doctoribus, quibus ille utebatur, eruditus 7) elementa litterarum celeriter percepit, tantumque adtigit doctrinae, quantum praestantissimo quisque ingenio praeditus prima illa puerili institutione potuisset. Ac si verum est, quod saepius proditum legimus et ipsi obseruauimus, quidquid suscipias imprimere, id facile recipere teneros inueniunt animos, non est, quod dubitemus, quin puerulo iam amor quidam singularis earum litterarum, quibus studia forensia aluntur, insitus fuerit. Consideret enim aliquis eius ingenium a similitudine paterni haud abhorrens, ponat sibi ob oculos aui magistratum summa cum laude gerentis exemplum 8), expendat educationem Craſſi, quem eloquentium iurisperitissimum vocare Cicero ipse 9) non dedignatus est, arbitrata institutione. Quae si quis singulatim percenseat, coniecturam nostram haud vano niti argumento, inficias sane ire non poterit. Ex umbratili ac domestica disciplina Romam se contulit, eo consilio, vt mirificum et ad omnia summa natum ingenium, quod in vnius vrbs, quae nascentem gremio et sinu suo exceperat, gyrum se compelli non sustinebat, maiorem inueniret aliquem campum, in quem excurreret, maius, in quo spectaretur, theatrum. Incidit quidem tunc temporis in funestum ac perturbatum reipublicae statum, quo vrbs, imperii domicilium, variis factionibus, ser-

vire

6) *de leg. 2, l. de orat. 2, l. Ep. ad Diu. 15, 4.*

7) *de orat. 2, l.*

8) *de leg. 2, l. 3, 16. de orat. 2, 66.*

9) *Brut. 38.*

vire paratis, laborabat, verum si ad litteras vnice animum aduertat, felix vere et aureum seculum, quo omnis Graeciae sapientia tam seuera lege excolebatur, vt, quod ibi fuerat exercitatio ingenii, hic in semen conuerteretur publicae vtilitatis ¹⁰⁾. Quam ob rem adolescentes primis annis Graecis litteris dare et grammaticos, rhetores, philosophos Graecos audire solebant ¹¹⁾. Quum enim veteres ea, quam Plato iam fouerat, imbuti essent opinione, omnem ingenuarum artium doctrinam vno quodam societatis vinculo contineri ¹²⁾, nihil profecto prius neque antiquius habuerunt, quam vt iuuenes, siue ad rem militarem, siue ad iuris scientiam, siue ad eloquentiae studium sese adplicarent, id non solum agerent, sed omnem etiam liberalis disciplinae orbem emetirentur. Ad eam quoque sententiam studiorum suorum rationem adcommodauit Cicero; de quo si quis dixerit, tanto eum ingenio fuisse, vt, quaecumque essent in litterarum cognitione posita, intelligentia comprehenderit, si quis commemorauerit, tanta eum industria exstitisse, vt, quidquid librorum philosophi Graeci reliquissent, qui in aliquo numero haberentur, quidquid oratores, quidquid historici litteris consignassent, quidquid cecinissent poetae, id euoluerit ac studiose legerit, si quis adseruerit, antiquitatis memoriã paene omnem, maximarum gentium ac nationum res gestas cognitã eum habuisse, hic

10) Cf. Seneca in *Praef. L. 1. Controu.* „Quidquid, inquit, Romana facundia habet, quod insolenti Graeciae aut opponat aut praeferat, circa Ciceronem effloruit: omnia ingenia, quae lucem studiis nostris adtulerunt, tunc nata sunt.“

11) *Brut.* 40. *de off.* 1, 1. *Sueton. de cl. reb.* 1. et 2.

12) *de Orat.* 3, 6.

hic, inquam, qui omnia haec illi vindicare non dubitaret, nimius forsitan laudum Tullianarum videretur esse buccinator. Nemo vero Ciceronem adtigit, qui dubitare, quin ita sit, vlllo modo possit ¹³⁾. In primis vero in philosophiae studio, non est facile dictu, quantum excelluerit ¹⁴⁾; quam non a limine, vt dicitur, salutauit, sed ad intima eiusdem cubilia penetrauit, et vnamquamque eius partem ita adcurate diligenterque perlustrauit, vt illos, qui in vna philosophia quasi tabernaculum vitae suae collocauerant, fere superaret.

13) Legatur Iac. Perizonii Oratio de Ciceronis eruditione et industria (Franqu. 1682.) p. 14. sqq.

14) Non se e porticu Zenonis, aut Lyceo Aristotelis, aut hortis Epicuri, sed ex Academiae spatiis maxime exiisse dicit Or. 3. Ep. ad Diu. 1, 9. Nempe Academicae philosophiae erat, de omnibus rebus in vtramque partem disputare, quod ad forenses eloquentiam sane valebat quam plurimum, neque id anguste et tenuiter, sed eleganter, copiose et ornate. Sed philosophiam non solum tamquam eloquentiae ministram amplexus est, quae arma ipsi suppeditare posset, quibus aduersarios, hisce subsidiis destitutos, prosterneis valeret, verum etiam ad iurisprudentiae studium transtulit, vt haec, philosophiae opera subleuata, paullo magis se commoueret, et tamquam carnem, fuccum, sanguinem coloremque adsumeret. Cuius societatis illustre argumentum ipse exstare voluit eo loco (de leg. 1, 5.), vbi non a praetoris edicto, neque a XII tabulis, sed penitus ex intima philosophia hauriendam iuris disciplinam putat. Quem autem morem differendi Socraticum in omnibus libris sequutus est, eundem quoque in iuris scientia adhibuit. Vbi-cumque enim de iuris quaestionibus vel controuersis sermo est, ab vna parte sententias, et quibus nituntur rationes summa arte disponit, his vero ita dispositis, contrarias opiniones earumque argumenta ita in aciem educit, vt quiuis ex earum conflictu, quid in vtraque parte minus firmum, quid verisimilius sit, facile intelligere possit. Cf. de Inu. 2, 2—9. Orat. Part. 14. et 34. Plura dabunt, qui de philosophia nostri ex instituto commentati

raret. Omnibus iis itaque doctrinis, quibus aetas puerilis informari ad humanitatem solet, atque omnium bonarum artium ornamentis instructus in forum, tamquam in solem ac puluerem, deductus est, ut eius auditor esset et sectator iudiciorum. Tres nimirum iis temporibus artes fuere, quae ad summa quaeque viam muniebant; ars dicendi, iuris scientia atque arma ¹⁵). Ex quibus quas potissimum amplexus sit noster, facile quis potest coniectura adsequi, qui eius mentem penitus introspexit. Quum enim omnes trahamur laudis studio, quid mirum, si Cicero, qui, quum amore gloriae nimis acri fortasse neque prorsus inhonesto flagraret, nihil in vita expectandum putabat, nisi quod esset cum laude et cum dignitate coniunctum, eundem, quem optimi ac nobilissimi, petere cursum laudis, atque in iis elaborare vellet ac defudare, quibus maxima exposita erant vel ad gratiam vel ad opes vel ad dignitatem praemia, quaeque in omni libero populo semper floruerunt semperque dominatae sunt ¹⁶). Alia quoque ratio in reipublicae statu ac temporibus, quae illum exceperunt, quaerenda est. Quae quidem si diligenter inspiciamus, inueniemus, rempublicam Romanam tunc temporis civili-

B 2

civili-

sunt, Gautier de Sibert in Diatr. cui titulus: *Examen de la Philosophie de Cicéron*, inserta *Mém. de l'Acad. d. Instr.* XXXXI. p. 466. 199. et in primis G. Meinerhus, Vir Ill., in Or. elegantissimae ac doctissime scripta *de philosophia Ciceronis eiusque in uniuersam philosophiam meritis*, quae extat in *Opuscul. philosophicis varii argumenti* (Lips. 1775.) T. 1. p. 274. Add. Middletoni l. 1. T. III. p. 330. sq. ex vers. Seidel.

15) *Brut.* 42. Cf. quae egregie, ut omnia, hanc in rem obseruauit Chr. Garuius, Vir Celeb., in *den philosopb. Anmerkungen und Abhandlungen zu Cicero's Büchern von den Pflichten* T. 1. p. 225.

16) *Brut.* 41. *pro Mur.* 21. *de off.* 2, 19.

ciuilibus diffidiis ac bellis mirum in modum conuassatam fuisse et labefactam. Ac primum quidem Gracchanae Drusianaeque atque Apuleiae seditiones rempublicam conturbauere, quibus ex semina sparsa sunt, vnde bellorum ciuiliū, Sullani, Mariani atque Cinnae formidolosa fuscitata est flamma, quae ciuium sanguine restinguebatur. In tantis tenebris atque parietinis reipublicae omnia bonarum artium studia siluerunt. Forum moestum et vastatum, muta atque elinguis curia, fides venalis, iudicia dissoluta, perdita, nummaria. Sed non dilatabo orationem meam; etenim posset esse infinita, si mihi liberet commemorare illos turbines, illas procellas ac ciuiles dissensiones, quibus satis dolenter deplorandis alicuius eorum, qui tunc occubuerunt, opus esset ingenio. Ad Ciceronem, vnde deflexa est nostra oratio, reuertamur. Qui quidem quum omnia haec adspiceret, quid mirum, si eius animus, veterum lectione innutritus, ac fortissimorum virorum, quorum imagines et ad inueniendum et ad imitandum expressas reliquerunt et Graeci et Romani scriptores, exemplis incitatus eo adduceretur, vt omnes curas, omnes cogitationes, omnes vigilias in eo collocandas esse putaret, vt strenuissimus libertatis vindex, humanitatis acerrimus propugnator, iustissimus causarum patronus, improborum aduicator audacissimus atque fortissimus insontium defensor euaderet. Nihil enim pulcrius, nihil honestius, nihil dignius cogitari posse putabat, quam improbos aduicere et miseros calamitososque defendere 17). Quem quidem finem sibi propositum quo plenius adsequeretur, in eo

17) *Diuinat. in Caecil.* 2, 20. 21. *Philipp.* 1, 3. *pro Cluent.* 57. In primis vero lectu dignissimus est locus, qui existat *de Off.* 2, 14.

eo semper diligentissimam posuit operam, ut et artem dicendi et iuris scientiam, sine qua legitima defensio vel aduersatio, in foro instituenda, nullo modo succedere poterat, arctissimo vinculo coniungeret 18). Quam ob rem, ne Themidis sacra illotis manibus adtingeret, iam a paruis leges decemvirales, a quibus, tamquam publici priuatique iuris fonte, iurisprudentiae studium auspicandum putabant veteres, edidicit 19), atque in schollis rhetorum, ut tam in defendendo, quam in aduersando exerceretur, summa industria sum-

B 3

moque

18) Distincta erant iis temporibus inter se iurisperitorum et patronorum munia, quaequam haud deerant, qui utrumque summa cum laude facerent, veluti M. Porcius Cato (*de orat.* 1, 37. et 3, 33.), P. Crassus Diues (*de orat.* 1, 37. *Brut.* 26.), Q. Mucius Scaeuola pontifex (*Brut.* 39. et 40.), L. Crassus (*Brut.* 38. 39. 40.) et Seruius Sulpicius (*Brut.* 41. et 42.). Nostrum vero vitamque personam pari cum laude sustinuisse, quemadmodum vniuersum illud de oratore diuinum opus loquitur, ita ex clarissimis singulorum locorum, vbi iis, qui perfecti oratores esse velint, huius cognitionem esse necessariam ipse professus est, testimoniis abunde intelligitur. Vid. *ad Herenn.* 1, 12. *de lauent.* 1, 5. *Orat. Part.* 28. *de Or.* 1, 5. 6. 8. 34. 41. *Or.* 3, 41. 43. *Brut.* 93. Hinc acerrime perstrinxit causarum patronos, qui huc atque illuc magna cum caetera in foro volitarent, praesidium clientibus atque opem amicis et cunctis prope ciuibus lucem ingenii et consilii sui porrigerent, qui vero ignari plane legum in maiorum institutis haesiterent, ac, si qua de iure incideret dubitatio, ad ICIorum prudentiam confugerent, a quibus hastas amentatis adicerent, quas oratoriis lacertis et viribus torquerent: *Topic.* 17. *de Orat.* 1, 57. Quae ICI et oratoris officia quamquam Corn. van Bynkershoek *Obsf. iur. Rom.* 7, 6. sub Imperatoribus coniuncta fuisse iudicat: tamen contrarium, de quo ex Quintil. *Inst. Orat.* 12, 3. nec non Iuuenel. 7, 123. eiusque Scholiast. constare poterat, solidis rationibus euincit Io. Guil. Hoffmannus in *Praef. Aegidii Menagii Amoenitibus iuris ciuilibus praemissa*. Cf. Schultingii *Or. laud.* p. 345.

19) *de leg.* 2, 23. *Liui.* 3, 34. *Tacit. Ann.* 3, 25.

moque studio versatus est ²⁰). Posteaquam vero in forum deductus erat, iuxta priscum Romanorum morem ad Q. Mucium Scaeuolam augurem, virum iuris ciuilibus intelligentia atque omni prudentiae genere conspicuum se contulit, quem senem iuuenis ita sectatus est, ut, quoad posset, ab eius latere numquam decederet, et, quae ab eo prudenter disputata essent, sedulo memoriae mandaret omnia ²¹). Quo mortuo se ad Q. Mucium Scaeuolam pontificem adplicuit, qui quum ea aetate iurisperitorum eloquentissimus putaretur ²²), Tullium in primis exemplo suo excitasse videtur, ut eloquentiam cum iuris scientia coniungeret, eamque indotatam atque incomitatum verborum dote locupletaret et ornaret ²³). Magni isti viri, in quorum familia iurisprudentiae laus erat hereditaria, et ex quorum ludo, tamquam ex equo Troiano, multi prodierunt Iureconfulti, quamquam nemini se ad docendum dabant, domi tamen in hemicyclio sedentes aequae ac transuerso foro obambulantes admittebant adolescentes discendi cupidos, ut, quid consulentibus responderent, quas actiones, exceptiones et cautiones in quauius causa commendarent, quibusque rationibus in his omnibus vterentur, audirent, eaque omnia sibi in futuros usus enotarent ²⁴). Incredibilis tamen quaedam ingenii, quod sibi plurima deberet, magnitudo non

non

²⁰) *de Orat.* 2, 24. et 30.

²¹) *Brut.* 26. et 89. *de Amicit.* 1. quem ad locum cf. Wetzel. p. 117. Plutarch. in *vita Cic.* c. 3. quum Ciceronem Philoni Academico operam nauasse commemorasset, haec addit: ἀμα δε τοις περι Μουκιων ανδρασι σουων πολιτικης και πρωττυουαι της βουλης εις εμπειριαν την νομην ωφελιτε. 93 29 1 2 21

²²) *Brut.* 39.

²³) *de Or.* 1, 55.

²⁴) *Brut.* 89. *Or.* 11.

non magnopere desideravit alterius in se erudiendo laborem et industriam ²⁵), sed ipsa iurisperitorum et prudentum de iure civili scripta et commentarios percensuit, in iisque quum in iuuenili tum in matura aetate singularem quamdam iucunditatem ac delectationem sese reperisse testatum reliquit ²⁶). Sed non in patrio solum iure cognoscendo substitit, verum etiam, quum studiorum causa Athenas, tamquam ad mercaturam bonarum artium, se conferret, ac totam fere Graeciam peragraret, omne suum studium in Graecarum legum historia, summæ prudentiæ fonte vberissimo, nominatim Lyeurgi, Draconis et Solonis institutis percipiendis posuit, ex iisque, quod iuri Romano explicando maxime inseruiret, depromsit ²⁷). Quantum autem iam ineunte aetate in iuris scientia profecerit, luculenter testantur, quos de inuentione scripsit admodum adolescens libros, atque orationes pro Quintio et Sex. Roscio Amerino habitae ²⁸), in quibus tot tantaque surgentis ac crescentis in immensum ingenii documenta deprehendebantur, vt quiuvis facile posset iudicare, vnum e summis viris euasurum illum, vel talem potius futurum, cuius similem vix vlla praeteritorum seculorum aetas tulisset.

²⁵) Ciceronem fuisse *αυτοδίδακτον* ac propria virtute et *δενουρη* ad tantum fastigium penetrasse, egregie me docuerat *Boettigerus*, cuius summi viri pia memoria nunquam ex animo discedet meo, in *Prolusione ad locum Cic. in Catilin.* 3, 8. 9. (Budissæ 1791.) p. 17.

²⁶) *de Orat.* 1, 43. 44. *de Fin.* 1, 4.

²⁷) Cf. *Middleton. l. l. T. l. p. 60.* Attamen iam ante iter in Graeciam susceptum plurimas Graecorum leges cognitias habuisse Tullium, patet ex libris de inuentione, in quibus multa, quae apud Graecos vigeant, instituta recenset, vt 1, 33. 2, 23. 31. 32.

²⁸) Vid. *Breviarium vitae, actionum et scriptorum Ciceronis*, praemissum *Nipontinae* edit. T. l. p. LXVI. sq.

III.

Exposuimus pro virium nostrarum modulo, qua via ac ratione iuris peritiam omnino nactus sit Cicero. Quae si quis rite penderit, quis est, qui ambigat, quin Tullius civilem prudentiam non extremis modo labris degustarit, verum, quemadmodum reliquas humaniores disciplinas, ita et hanc ad vnguem calluerit? Attamen dici vix potest, quantopere inter se eruditi dissentiant de Ciceronis iurisprudencia. Fuerunt ²⁹⁾, qui ideo, quod numquam se Ictum professus sit, nec de iure responderit, Ictis adnumerandum esse praefracite negarent ³⁰⁾. Quorum vero iniquae subtilitati iam

²⁹⁾ Eorum antesignanus est Corn. van Bynkershoek, qui (in *Praetermissis* ad L. 2. §. 46. *D. de O. I.* insertis et ipsius Bynkershoekii *Opusculi*: T. II. p. 60. sqq. et *Collectioni Vhlianæ* p. 284. sqq.) magna id egit opera, ut Ciceronem ex albo Ictorum expungeret. Simile quid iam ante Bynkershoekium in mentem venerat Ant. Fabro in *Libro de error. pragmat.* Dec. 94. err. 9. et Vberto Folietæ de *philosophiae et iuris civilis inter se comparatione* Lib. I. p. 16. Eandem sententiam amplexi sunt Io. Sam. Brunquellius in *Hist. iuris Rom.* c. 10. §. 24. et Eu. Otto in *Lib. sing. de vita, studiis, scriptis et honoribus Seruii Sulpicii* c. 4. §. 3. hic quidem, ut iam Crassius *Praef. Spec. iurisprudenciae Ciceron.* p. II. not. 4. suspicatus est, herois sui, quem tunc laudabat, extollendi causa. Certe idem parum sui memor in *Diss. de perpetua feminarum tutela* c. 1. §. 4. (repetita in *Dissertat. iur. publ. et priv.* p. 199.) in castra eorum, qui contrarias partes sequuntur, transiit, ubi *primas*, inquit, *seneas M. Tullius, disertissimus inter Ictos orator, et Ictos inter oratores eruditissimus.*"

³⁰⁾ Ut probetur, Tullium non fuisse Ictum, plerumque etiam solent adferre, quod non modo Pomponius, in *d. L. 2. de O. I.* Iurisperitorum recensum agens, Ciceronem silentio praeterierit, verum etiam Q. Pufius Calenus in *Oratio-*

iam dudum satisfactum esse ab iis, qui in Ciceronis patrocinio suscipiendo summa cum laude versati sunt, nemo est, qui nesciat 31). Suum cuique hac de re iudicium esto: hic tamen meminisse oportet eius, quod graviter dixit Quinctilianus 32): *modeste et circumspecto iudicio de tantis viris pronuntiandum est, ut, quod plerisque accidit, damnent, quod non intelligunt.* Ego vero profiteri non verborum, in eam animum meum semper inclinasse sententiam, Ciceronem non suo tantum tempore iuris scientia inter primos potuisse censeri, sed et iurisprudentiae pomoeria haud parum protulisse. Aperte

Oratione contra Ciceronem, atrae loliginis plena, quae apud Dionem Cass. Lib. 46. exstat, studia Ciceronis expresserit, nullam vero iuris scientiae mentionem fecerit. Pomponius autem l. l. eos saltem Ictos nominasse videtur, qui vel de iure responderunt, vel scriptis ad ius pertinentibus inclaruerunt, vel alio quocumque modo artem iuris professi sunt. Ipse etiam multos alios maximae auctoritatis Ictos omisit, atque memorias veterum Ictorum non adeo accurate delineavit; cuius negligentiae exempla collegit Brokes in Diss. de Pomponio, *historiae litterariae ignavis* (Vindob. 1738.). Caleno apud Cassium quin nulla plane fides habenda sit, nemo dubitabit, qui intelliget, ex odio, quod erga Ciceronem Calenus susceperat, veritatem in ea oratione suppressi magis, quam confirmari.

31) Cf. quae monuerunt Guil. Budaeus ad l. i. D. de l. et l. Guil. Grotius de vitis Ictorum Lib. 1. c. 9. Reinh. Bachovius ad Ant. Fabri Error. pragmat. Dec. 94. err. 9. Schultingius in Or. saepius laudata, Christf. Waechterus in litteris, occasione Praetermissorum Bynkershoekii ad L. 2. D. de O. l. scriptis, ipsiusque Opuscul. varior. p. 726. sqq. nec non Collectioni Vblinae p. 296. sqq. insertis, Brokes in Diss. de Cicerone Iuriconsulto §. 11. p. 15. Coassius Praef. Spec. Jurispr. Ciceronianaes p. 11. Bachius Hist. iur. Rom. p. 248. edit. recentiss. Olshovius Doct. de iurisprud. Cic. in Civilis doctrinae analysi philosophica p. 97. sqq. et Püttmannus Miscell. G. 19. p. 143.

32) Institut. Orat. X. 1.

id testantur luculentissima illa et clarissima, quae, quotiescumque Ciceronis opera evolo, non sine magna animi delectatione animadverto, civilis iuris vestigia, comprobant causae ab eo oratae, declarant res in officio gestae. Quis unquam tot prisca legum de iure publico privatoque nomina, quin et ipsa earum verba nobis conseruavit? quis illas omnes exactius ac pressius examinavit? quis earum sensum, rationem, vim dilucidius adeoque dignitatem clarius explicavit? Quidquid enim in legibus esset vel utile et iustum, vel noxium et iniustum, noster peruestigauerat, quaeque ex iis probandae improbandaeque essent, probe perspexerat. Ac si quis quaerat, an iuris naturalis praecepta tenuerit, nonne testes locupletissimi praeter praeclarum *de legibus* opus ³³⁾ sunt aurei illi libri, quos *de officiis* elaboravit iam senex? Si quis roget, iurisne publici tum communis, tum patriae suae proprii, rei publicae gerendae prudentia calluerit, nonne ipsae respondent ingenuae, quas ad Atticum scripsit, epistolae? Sed quid opus est haec pluribus persequi? Hoc solummodo addam, posse summorum virorum opiniones, quamuis toto, quod aiunt, coelo diuersae videantur, facillimo artificio, si quid mihi cernere datum, conciliari. Tota enim his potissimum versatur in vocabulo *Iuris*. Hunc Bynkershoekius alique, qui eius partes sequuntur, cum ipso Cicerone eum esse voluerunt, qui legum et ad respondendum et ad agendum et ad cauendum peritus sit ³⁴⁾. Inde non negant, Tullium excelluisse

iuris

33) Quod librorum praestantissimorum consilium docte adumbravit Christ. Aug. Güntherus, V. II., in *Com. de lege naturae ex mente Ciceronis*, Lips.

1783. 4.

34) *de Orat.* 1, 48.

iuris scientia, negant tantum, eundem fuisse *I Crus*. Neque nos hoc dicimus, idque iis lubenter largiri possumus, dummodo omnes in maxima iuris scientia Ciceroni tribuenda amice conspirent. Facile fuisset illi, qui a primo aetatis tempore iuri operam dederat, offendere ac profiteri, se etiam *I Cris* personam tueri posse, si curae reipublicae potuisset a se abicere 35). Quid? quod Quintus frater ipse illi aliquando persuadere voluit, ut, salvis muneribus publicis, statim se daret ad ius respondendum 36). Ac consensisset adeo Cicerone, siquidem nullum esset in experienda periculum, nisi veritus esset, ne interpretatio iuris, etiamsi minus molesta propter laborem, auferret tamen ipsi tempora ad dicendi cogitationem destinata. Quam ob rem distulit eam, donec vacationem aetas ipsa foret adlatura 37), et nihil praeclarius duxit neque honestius, quam honoribus et reipublicae muneribus perfunctum senem posse suo iure dicere idem, quod apud Ennium dicat ille Pythius Apollo, se esse eum, unde sibi, si non populi et reges, at omnes sui cives consilium expetant 38).

35) In omnia ore sunt verba illa notissima, quae *pro Mur.* 13. occurrunt: *Si mihi, homini vehementer occupato, stomachum moueritis, triduo me Iurisconsultum esse profitebor.* Ad quem locum commentatus est Ge. Richterus *Or. de stomacho Ciceronis in Iureconsultos*, inter *Eiusd. Orat.* (Norimb. 1638.) Dec. 1. p. 222. sq.

36) *de Leg.* 1, 4.

37) *de Orat.* 1, 45.

38) Eandem diuersas virorum doctorum sententias conciliandi viam iniuit etiam Io. Luzac *Spec. acad. enbib. obseruationes nonnullas apologeticas pro I Cris Rom.* (L. B. 1768. 4.) c. 3. §. 15 — 17. p. 46. sqq.

III.

Veniamus nunc, praemissis, quae necessaria praemittenda putavi, ad merita Tulliana de iure civili in artem redigendo rite delineanda. Quae quidem si diligenter considerare velimus ac perpendere singula, animum potissimum ad iurisprudentiam, qualis Ciceronis aetate fuerit, advertamus necesse est. Nam et hic vehementer commendanda est cautio, quam in arte critica observari suadet Io. Clericus 39), dum „oportet,“ inquit, „veluti nostrarum opinionum obliuisci, et quacrere, quid veteres illi magistri senserint, non, quid sentire debuisse nobis videntur, ut sapienter. Angustis autem admodum finibus id temporis circumscripta fuit iurisprudentia 40), necdum tot tantasque subiit vicissitudines, ac postea sub imperatoribus illi adciderunt, quibus inane quantum oneris ac confussionis legum studio adcessit. Quum vero iureconsulti, siue erroris obiiendi causa, quo plura et difficiliora scire viderentur, siue, quod simillius veri est, ignoratione docendi, saepe, quod positum esset in vna cognitione, id in infinita dispertiti fuerint 41), non est, quod miremur, disciplinam ea aetate euasisse hircam et male cohaerentem, indigestaeque moli haud absimilem. Non defuere quidem ingenio maximi, arte vero rudes, vel sapientes potius, quam iureconsulti, qui, in cunis quasi vagiente iurisprudentia, quum legibus colligendis

39) *Art. Critic.* P. II. Sect. 2. c. 2. §. 7.

40) *de Orat.* 2, 32.

41) *de leg.* 2, 19. *de Or.* 1, 43.

gendis, tum principis iuris stabilendis laudabilem diligentiam adhiberent. Iam Papirius leges regias in vnum contulerat 43), Ap-
 pius legis actiones conscripserat 43), Sextus Aelius Tripertita edi-
 derat 44), quae iuris incunabula continebant, P. Mucius Scaevola,
 M. Iunius Brutus et M. Manilius regulas iuris inter forenses dispa-
 tationem excogitatis collegerant 45). Quin iam Q. Mucius ius
 civile primum constituerat 46), generatim illud in decem et octo li-
 bros redigendo, et mediani iurisprudenciam, summis eius capitibus
 vitandae confusionis gratia distinctis, solidius firmaverat 47); cuius
 studii laetentis testimonia in fragmentis, ex libro *de iure* eiusdem
 ICI in Digesta translatis, hodiernum obtineant. Sed hi quidem
 omnes facti et materiam congefferant, aedificium ante Ciceronem
 exstruxit nemo 48), a quo novus quasi incipit rerum ordo, dum ius

C 3 civili.

43) L. 2. §. 2. D. de O. I. Dionys. Hal. III. p. 178. ed. Sylburg.
 43) L. 8. §. 36. D. de O. I. Plin. H. N. 33, 1.
 44) L. 2. §. 37. D. de O. I.
 45) Hoc sensu triumviros, quos recensuit Pomponius in L. 2. §. 39. D. de O. I.
 intelligendos esse fundasse ius civile, docuit Praeses Illustris in *Præcipuis*
iuris Rom. privati notissimi, c. 4. §. 29. p. 33. Cf. Franc. Car. Conradi, *Or.*
de iurisprudencia regulari Romanorum (rec. Lips. 1762. 14.) p. 9.
 46) L. 2. §. 41. D. de O. I. Gell. N. A. VII, 15. Coniectura si quid adsequi
 posset, profecto facile nobis persuasum haberemus, praceptoris summi
 exemplo in primis adductum fuisse Tullium, ut de iuris civilis arte perfi-
 cienda cogitaret.
 47) Eu. Otto Lib. sing. de vita Seruii Sulpicii c. 7. §. 2. in *Thes. iur.* T. V.
 p. 1597.
 48) Sunt quidem, qui Seruium Sulpicium, Ciceronis aequalem, idem ante
 Ciceronem praestitisse statuunt; velut Ge. Schubartus de *factis iurisp. Rom.*
 Ex. 3. §. 8. et Brokes Diss. commem. de Cicerone ICI. §. 8. Ac loquitur
 sane

utile in formam artis redegit, et *cuncta* pulcherrimum coniecit, in quo omnia, e principiis suis deducta, firmo nexu ophaerent. Deploranda sane est rei litterariae iactura, quod ex illo libro, praeter verbula quaedam, quae Gellius 49) et Charisius 50) seruaerunt, nihil nobis sit reliqui. Quem nisi ita male habuisset iniuria temporum, plurima sciremus cognitu iucundissima atque utilitate fertilissima, quae nunc aeternae noctis tenebris sepulta promuntur. Quemadmodum vero, qui in prima picturae cuiusdam lineamenta incidunt, quamuis ex totius operis contemplatione illius pulcritudinem multo facilius essent perspecturi, tamen vel e primis, quibus adumbrata est, lineis de totius picturae praestantia haud infeliciter iudicant, ita et nobis, quibus per fatorum iniquitatem

sane Tullius in *Brut.* c. 41. de arte iuris, quae in Seruio maxima fuerit, aut verius vnica, tam magnifice, vt hoc de summo Icto iudicium vix conciliari posse videatur cum alia nostri professione (*de Or.* 1, 41. sq.) qua necdum existisse, qui ius artificiose digestum generatim composuerit, dolet, optatque, vt aut sibi, quod iam diu cogitauerit, tale opus perficere liceat, aut alius quispiam se impedito, suscipiat. Quod profecto non optasset, si iam tum Seruius in eo genere excellisset. Verum enimvero, si temporis rationes intueamur, et *Brutum* fere decennio post libros *de Oratore* a Cicerone scriptum esse recordemur, facile concordiam inter vtrumque locum sic restituemus, vt, Ciceronem post libros *de Oratore* editos ad ipsum tentasse, mox autem, quia se forte a Seruio, interea idem molito, superatum intellexisset, consilium rursus abiicisse, et opus infectum reliquisse, dicamus. Vt taceam, in *Bruto* ne satis quidem clare affirmari, Sulpicium illud, de quo quaerimus, scriptis effecisse, quandoquidem ars in homine summa esse potest, etiamsi de ea ex litterarum monumentis non constet.

49) *N. A.* 1, 22.

50) Vid. *Fragmenta ex libris Ciceronis philosophicis*, adiecta Edit. Bipont. Vol. XII. p. 307.

tatem non nisi *enorypa* superest 52), ex hac ipsa de eius ingenio ac doctrina, ob quod in proverbio est, ex vogue leonem aestimare licebit. Prima illa lineamenta, quae pingui, quod aiunt, Minerva duxit ac designavit Tullius, quamquam ea irridere videtur eloquens ille, verum indobtus Antonius 52), nisi quis adspiciat, quis est, qui non summo quadam perfundatur admiratione? Ac primum quidem constituto iuris civilis 53) sine, qui in legitima atque usitatae in rebus causisque civium aequabilitatis conservatione cernitur, omne ius civile digerendum censuit in genera, quae perpauca sunt; deinde eorum generum quasi membra quaedam dispartienda, atque omnia, quae sunt vel generum vel partium nomina, definitionibus, quam quaeque vim habeant, exprimenda esse arbitratus est 54). Brevis quidem est haec delineatio, sed iurisprudentiae, qualis tunc temporis erat, valde adcommodata, nec nos dubitare patitur Tullius, quo, si quis, quae brevi complexus est, latius explicaret, perfecta ars iuris civilis evasura sit, clarior illa atque uberior, quam difficilis atque obscura. Quae quidem omnia nunquam effecisset ipse iuris scientia, nisi ad ea artem omnium artium maximam, quasi

51) *de Or.* 1, 40.

52) *de Or.* 1, 38.

53) Cuius cognitionem quum Cicero a iuris pontificii studio plerumque sejungere solet, ut *Brut.* 42. *de leg.* 2, 18-19. verisimile sit, ad illud, non ad hoc rationem operis pertinuisse.

54) Quod Ciceronis consilium accurate expressit M. Aur. Galvanus *de usufructu* c. 17. §. 3. dum argumentum libri in iis potissimum iuris praeciputionibus, quae, doctrinae gratia inventae, definitionibus, divisionibus, methodicis dispositionibus, aliisque similibus observationibus constarent, versatum esse monuit.

quasi lucem, adtulisset, Dialecticam puta, quae rem confusam secer-
neret, dissolutam diuisamque conglutinaret et ratione recta con-
fringeret. Inde recta partium dispositio, et iustus ordo, quo sin-
gula quaeque collocentur, inde vis argumentationis ac rationum
pondus, inde etiam definiendi et diuidendi modus, qui in omni
doctrinarum genere explicatu primus est. Sed de adambatione
huius operis haec quidem haestenus. Iuvat nunc, eandem exem-
plis aliquot e reliquis Tullianae eruditionis monumentis petitis il-
lustrare. Quam in rem optima procul dubio disciplina est lectio
Topicorum, ad C. Trebatium, Ictum eximium, scriptorum, quae
tota in praeceptis differendi ad iuris quaestiones transferendis ver-
santur. Sic, quale sit partitionum ac diuisionum genus, quod iuris
artem ingrediatur, elegantissimis ipse exemplis *iuris ciuilibus* et *abalie-
nationis* declarauit 55). Definitionum quis modus esse debeat, *heredi-
tatum* et *gentiles* subtiliter definiendo docuit 56). Quomodo argu-
mentis dialecticis in iure utendum sit, tum ibidem, tum alibi, maxi-
me in libris *de inuentione* 57), per partes eundo demonstrauit. Quae
singula, sicut axiomata iuris generalia, passim a Cicero diligentius
multo, quam ab aliis, inculcata, quale est illud: *nullam esse perso-
nam, quae ad vicem eius, qui e vita emigrauerit, propius accedat here-
de* 58), aut illud: *vnus pecuniae plures, dissimilibus de causis, heredes
esse non posse* 59), si vberius persequi vellem, versor, ne tempus
prius

55) *Top.* 5.56) *Ibid.* 6.57) V. g. *de Inuent.* 1, 13. 2, 4. 5.58) *de leg.* 2, 19.59) *de Inuent.* 2, 21.

prius, quam materia, deficeret ⁶⁰). Alia vero nobis restat quaestio, eaque grauissima ac difficillima, quam dirimere vix audeo, num scilicet ipse vnquam librum de iure ciuili in artem redigendo absoluerit Cicero. Quin ita sit, in dubium vocat Bynkershoekius ⁶¹), quem vero grauissimis verbis reprehendit Bachius ⁶²). Absit a me procul, vt sanctissimas violem Bachii manes; attamen non possum, quin sententiae Bynkershoekii calculum meum adiiciam, ac mihi persuasum habeam, hunc librum a Cicerone ad vmbilicum numquam fuisse perductum. Idque quum coniectura probabile est, tum quibusdam etiam vestigiis indicatur. Ac primum quidem Quintilianus ⁶³), cui maximam puto fidem habendam esse, disertis verbis dicit, eum aliqua de iure ciuili componere *coepisse*. Qui quidem locus nullo alio modo, si quid iudicare valeo, intelligi potest, nisi de hoc libro inchoato solum, non perfecto ⁶⁴). Tullium multa de iure ciuili in animo habuisse scribere, quorum initium factum sit hoc vno libro edito, vt Bachius opinatur, non satis constat, nec vllum omnino, in quo expresse id professus sit Cicero, reperi locum. Deinde vero in Ciceronis libris, quos matura aetate

con-

60) Quaedam occupauit Oliverius in *Diatr.*, quam aliquoties excitauimus, a pag. 99.

61) *Praetermiss.* ad L. 2. §. 46. *D. de O. I.* in *Opuscc.* T. II. p. 64. et in *Collect. Vbl.* p. 287.

62) *Hist. iur. Rom.* p. 247. ed. nouiss.

63) *Instit. Orat.* XII, 3, 10.

64) Hadr. quidem Turnebus ad *Quintilianii d. I.* verba Fabii interpretatur de libris Ciceronis *de legibus et de republica*, qui tamen non magis de iure fuerunt, quam eiusdem argumenti Platonis. Cf. Luzac *Spec. acad.* supra laudatum c. 3. §. 17. not. 18. p. 49.



conscriptis, ne verbo quidem huius operis mentio sit. Denique adparet, eum voluisse primas illas lineas leuiter adumbratas latius explicare, dummodo paullum otii suppeditaret immensa negotiorum moles. Iam vero ab illo inde tempore, quo primum ad rempublicam adcesserat, caussarum defensionibus, amicitiiis et clientelis tuendis, inimicitiiis propulsandis, amplissimis denique muneribus administrandis occupatus fuit; senem vero exceperunt turbulentissima reipublicae tempora, quibus animus noster facile inducatur ad credendum, haud potuisse Tullium propter otii inopiam huic libro vltimam imponere manum ⁶⁵⁾.

Haec sunt, quae in meam sententiam breuiter adducenda putauit, certe non eo consilio, vt, quorum aliter de hac re sententia est, eorum auctoritatem infringere conarer, sed vt, quae coniectura adsequutus fueram, virorum eruditorum iudicio exactius ponderanda relinquerem, quo modo optime cognoscere possem, sintue in his aliqua, quae vero esse consentanea existimentur, nec ne.

65) Quod etiam suboluisse videtur Eu. Ottoni in laud. Lib. sing. *de vita Seruili Sulpicii*, c. 6. §. 5. in *Thef. iur.* T. V. p. 1521.

ERRATVM.

Pag. 9. lin. 5. pro: *primis annis*, lege: *primos annos*.

V I R O

LITTERARVM AC VIRTVTVM LAVDE

FLORENTISSIMO

IOANNI GOTTHELF HORNEMANNO

S. P. D

CHRIST. GOTTL. HAVBOLD

*Quod Quinctilianus verissime censuit, eum iam multum profecisse, cui Cicero valde placeat, id in TE quidem, NOBILISSIME HORNE-
MANNE, totum conuenire, vel hic TVVS libellus planissime ostendit,
e quo familiaritas cum principe Romanae eloquentiae, eruditionis atque
venustatis tam arte contracta elucet, ut eam in singulis doctissimae
disputationis partibus, ne dicam, verbis, exprimere videaris. Quae
quemadmodum iam sola et ad iussum studiis TVIS pretium statuendum,
et ad maiorem indies de ingenii TVI excellentia diligentiaeque assiduitate*

